

CASTORIS ET POLLVCIS NUMISMA.



VM superiore anno in Ticinensi Gymnasio studijs philosophiæ operam nauarem, & Lucilium Philaltæum, præceptorem meum, tum Gæcis, tum Latinis literis apprime doctum ex suggestu physica Aristotelis clarè interpretantem audirem, & ex ore eius philosophica præcepta ex fontibus optimorum interpretum accepta haurirem, mihiq̃ue in scholis familiaris sermo de artium liberalium ingenuo viro necessarium præstantia esset institutus cum Bartolomæo Rapiollo, iuvene perquam literato & in medicis artibus pererudito, tunc ille ad me verba faciens percunctatus est, an ego tunc temporis aliquid lucubrarem, ego tum inquam maxime. Cùm enim otium mihi suppetit, vt à lectionibus philosophiæ feriari passim, reliquum tempus in Numismatum veterum Romanorum imaginibus exponendis contero, nec enim nobilius studium mihi viro nobili & patritio nato vnquam magis conuenire feriant à serijs libris existimaui, cùm ingenuis artibus à pueritia sic institutus sim, vt eas non facile posthabere velim, cùm ornamenta omnium scientiarum sint humaniora studia & verè nobili ingenuoque viro digna, & reliqua potius (si philosophiam demas) ad lucrum spectent, & ad bonorum morum corruptionem: difficile est enim vbi sit sordidus quæstus, eò & studia non tendere, sicq̃ue non corrumpi animos hominum & flecti ad munera. & si scio etiam laboribus honesta præmia constituta, nihilominus id vitium est hominum, non artium & scientiarum. Nam velut si in vitiosum vas infundatur optimum vinum, in vappam illico euadit, corrumpiturque & coacescit, ita si in bonum vas fundatur vinum, non vitiat. non aliter de artibus ingenuis, bonisque literis euenire censendum est, quas si quis malo genio natus amplectatur, statim vitiantur, & contaminantur: si autè bonus vir & omnino probus eis se dedat, integræ & inuiolatæ permanent. his à me tunc dictis, subiecit Rapiollius, hæc omnia, quæ narraisti, Constanti, delphicis oraculis veriora sunt. Vtinàmque omnes adolescentes huius temporis, hi præcipuè, qui nobiles & diuites sunt, non lucri potius causa, quam honesto discendi desiderio ad studia literarum raperentur, & velut quodam sibi proposito quæstuosæ artis exercendæ scopo, & sine sordido, in illis non conquiescerent, hinc enim illi forensium, rabularum ac aduocatorum labyrinthi in caularum litibus dirimendis inexplicabiles, hinc in prætorijs æterna contentio, hinc verbosi fori assidui strepitus, hinc immortales lites oriuntur, & ciuium dissesio inextinguibilis, Hinc illæ interpretum mille in ius ciuile dissensiones, ac opiniones innumera-

rabiles